

05
A
667

J. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO METAPHYSICA

De

DISTINCTIONE,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

Adspirante Divinâ Gratia,

Sub Moderamine

V. I. R. I

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI atq; EXCEL-
LENTISSIMI,

DN. CHRISTIANI DONATI,

Log. & Metaph. in Incluta hâc Electorali ad Albim

Prof. Publ. Celeberrimi

Domini Patroni atq; Fautoris etatem
devenerandi,

Placidæ disqvistitioni submittit

M. JOHANNES HENRICUS Neel /

Argentorat.

Ad d. 28. Jan. ANNO 1680. h. Iq; c.

WITTEMBERGÆ ,

Typis MATTHÆI HENCKELII , Acad. Typogr.



05 A 667



A Mat natura distinctionem ,
nec qvicquam in eâ reperitur indistinctum .
Affinitas datur & rerum convenientia , nul-
la vero ullibi confusio . Imò tam impos-
sibile est in rebus qvicquam dari , qvod cum
alio sit confusum , qvam impossibile est
idem simul esse & non esse . Eset enim res
illa id qvod est , per propriâ essentia , & esset aliquid qvod non est ,
per illâ essentiam , cum qva confusa esset . Sicut si in unâ re confusa
esset Essentia humana cum canina , illa res per essentiam huma-
nam esset homo , & non esset homo , per essentiam caninam , adeo .
qve simul esset & non esset , qvod omnium absurdorum primum
atqve maximum est . Naturam hâc in parte tanquam normam
suam seqvitur Intellectus noster atq; ratio ; qvæ , quantum qvi-
dem id fieri potest , in id annititur , ut , qvæ natura distinxit , ipsa
qvoqve non confundat , sed tanquam distincta cognoscat . Et cum
maxima intellectus perfectio sit , rem cognoscere sicut est , id vero
fieri neqveat , nisi distingvendo aliena à propriis , extraessentialia
ab essentialibus , facile patet , qvam necessarium sit nostro qvoqve
Intellectui , bene distingvere . Imò propter imbecillitatem suam
scepe ad rei cognitionem intimorem ea distingvere cogitur , qvæ
aliás re ipsâ unum sunt atqve idem : sed de hisce alibi fusius agi-
tur . Nobis hâc vice sufficiat summam distinctionis in omni di-
sciplinarum genere utilitatem exinde cognovisse , qvam tritum
illud communi sermone proverbium qvoqve confirmat , quo ille
deum bene docere dicitur , qui bene distingvit . Quantus vero
doctrinæ hujus usus est , tantis qvoqve ea implicita est difficulta-
tibus , sive ipsam ejus naturam spectes : Per distinctionem enim , in-
qvit Svarez , uniuscujusq; rei essentia seu quidditas attingitur , nam
Disp. Met. 6.
S. i.
div.

Met. Div. P.
G.c.13. ad
prac.3.

dividendo unum ab alio, ad propriam uniuseiusq; rei definitionem pervenitur. Unde, quam est difficulter rerum essentias nosse, tantudem est, varios gradus & modos distinctionum explicare: Sive Autorum, Scholasticorum præcipue, & qui eos securi sunt, confusam admodum, & perplexam in hâc ipsâ tradendâ docendi rationem perpendas, ut verissimum sit, illos nullibi minus distinctè agere, quam ubi de distinctione agunt, ut ne sciam (verba sunt Magnis atque Summè Rev. Dn. D. Calovii Patroni atque Praeceptoris submississimè devenerandi) quo fato in distinctione regnet confusio, & quæ evolvi videntur, datâ operâ quasi involvantur. Nihilominus, utut difficultas hujus doctrinæ modo recensita me ab ejus tractatione detergere potuisset, usus tamen ejusdem amplissimus, ut eam pro virili evolvendam susciperem, svasit ac impulit. Progrediar autem in ejus tractatione hōc ordine, ut in priori Sectione Quiditatem, eamque cum nominis, tum rei: in altera vero, quo adusq; quidem licebit, varietatem atque divisiones perseqvar. Adsit D. T. O. M. qui in distinctione Personarum unus est, Author, sicut omnium rerum, ita quoque omnis; quæ in rebus est, distinctionis, & dirigat mentem meam, ut hanc de distinctione doctrinam, distinctè propnere queam.

SECTIONIS I. quæ QVIDITATEM

exhibit

SUBSECTIO I. Οὐοματογνῶσις.

§. I. Oritur autem vox distinctione à verbo distingvere, quod nonnullis est à dis & tingere, ut adeo vi nominis illa distincta dicantur, quæ alio atque alio colore tincta sunt, sicut vestimentum nigrum & viride propriè sunt distincta; usus tamen ab impositione deviavit, ut etiam quæ omni colore destituuntur, dummodo alio quocunq; modo differant inter se, distincta dicantur; nomine à sensu cognitione & rebus materialibus, à quibus nostra cognitio incipit, transsumpto. Quamvis alii à verbo Tingere quod apud Plinium, alii à stingere, quod apud Plautum reperitur, id deducere malint. Est autem vox hæc ex numero τίος πολλα-

πολλαχώς λεγομένων. Sumitur enim. 1. Grammaticè , prout
commoda,cola & puncta distinctionum nomine veniunt , vel 2.
Logicè pro divisione æqvivoci in sua æqvivocata : qva ratione op-
ponitur divisioni pressè sumptæ, qvæ rem ipsam in sua membra
dividit. Sed hæ acceptiones sunt alienæ . 3. Igitur proprius ad
propositum nostrum accedendo, distinctione sumitur vel *Efficienter*,
pro actu distingventis, sive id fiat per membra corporea , sive per
mentis conceptus. Vel *formaliter* ; Et sic iterum sumitur vel
concretivè, ita ut includat ipsam rem ab alia dissidentem, vel *ab-
stractivè* pro ipsa forma, qva unum ab altero distinctione denomi-
natur. Et hæc acceptio hic attenditur. Est autem & ipsa am-
bigua ; vel enim *generalissimè* sumitur, prout tam distinctionem
rationis, qvam realem, tam negativam, qvam positivam includit:
vel *Specialissimè*, prout modus diversitatis dicitur Oppositioni
contradistinctus: vel *medio modo*, qvo oppositionem includit, di-
stinctionem vero rationis & negativam ex formalis suo excludit.
Et hæc est significatio propria, & hujus loci, uti ex inferius di-
cendis clarius patebit.

§. 2. Aeqipollent autem distinctioni hoc modo acceptæ
Diversitas & Differentia. Ita quidem, si diversitas non sumatur,
Logicè seu complexè, prout propositiones vel diversæ sunt , vel
oppositæ, sed *incomplexè* & *in oppositione non (a) ad differentiam*,
prout ea tantum diversa sunt, qvæ se totis diversa sunt, & non in-
aliquo, seu conceptu univoco convenientiunt, & per aliquod sui, seu
conceptum differentiali dfferunt, qvo sensu Arist. I. 10. Met. c. 5.
t. 12. dicunt has voces accepisse, qvamvis Fonseca verbis contextus
illius hæc explicatione vim fieri non abs re judicet. Qvicquid
autem sit de hæc acceptione , id tamen liquet vocem diversitatis
hoc modo, acceptam non aeqipollere distinctioni , cum & homo
& bestia, & corpus & spiritu realiter distingvantur, nec tamen hoc
sensu diversa sint, sed differentia. *Nec (c) ad distinctionem*, qvæ tunc
solam negationem Identitatis realis dicere, diversitas autem insu-
per negationem similitudinis & convenientiæ addere videretur.
Vid. Svarez. Sed (y) ad Identitatem , in qva acceptione certum
est, frequenter istos terminos (diversitatem & distinctionem) accipi

Comm. in b.l.

Disp. 7. Met. S.
equi. 3.n.6.p.m.132.

*Op. Met. P. i.
l. 8. n. 11. p. m.* **107.** *equipollentes. vid. Scheiblerus.* Frustra in contrarium nitente
P. Voetio, cuius probatio adducta, cum ex puris particularibus
procedat, minimè militat. Idem de Differentia judicium esto,

Prim. Philos. si sc. & hæc accipiatur non in contradistinctione ad diversitatem,
Ref. c. 10. S. 14. prout DEus à creaturis: it: Transcendentia, genera summa, &
n. 2. juxta qvoscum Individua distinguntur, non ut differentia, sed ut
diversa, sed prout unum qvodqye Ens ab alio, cum qvo non est
idem, differre dicitur.

S. 3. Ut autem tum hæc, tum ipsius distinctionis forma
clarior patefcant, una atq; altera distinctionum nominalium su-
perius tactarū, evolvenda est atq; paucis, pro instituti ratione, ex-
plianda. Dividitur autē distinctione ratione terminorū qui vel po-
sitivi sunt, vel negativi, in positivam & negativam. Positiva est, qvæ in-
tercedit inter duo extrema positiva, sive illa sunt Entia, sive Entis
modi. Negativa vero est vel inter Ens & non-Ens, sicut homo
vivus à mortuo, visus à cœcitate distinguntur: vel inter non-
Entia, qvæ planè diverso modo concipiuntur. Sic differt Cer-
berus, qui per modum canis tricipitis concipitur, à Chimæra, qvæ
nobis repræsentatur per modum animalis, tergemini, qvod sit

Πέρωθε λέων, οὐ πιθέν τε δε γάρ τοι μίσσαν το χίμαιρα &c:

Hom. Iliad. 7.

Non esse autem veram distinctionem, nisi inter Entia positiva,
patet, cum distinctio qvæ hujus loci est, sit membrum positivi at-
tributi Entis. Qvomodo autem qvod non est poterit aliquid
positivum sustinere à quo intrinsecè denominetur? potius non-
Entis nulla attributa &c. ex vulgato illo axiomate agnoscenda.
Non enim Idem & diversum nisi subEnte opponuntur, sicut clare
docet Aristot. ubi etiam concludit: Διὸ τὸ ἔπειρον & Αἴγαρτας θῆ-
ταν μηδὲ τῶν (τὸ δὲ μὴ Γυρτο λέγεται) θῆτι δὲ τῶν οὐτων. Diversum
non dicitur de non-Entibus (de iis vero non idem aicitur) sed de En-
tibus. Cum enim res per propriam Essentiam distingvantur,
juxta Axioma vulgare: Per qvod qvid constituitur, per illud et-
iam distinguitur: privationes vero & negationes essentiæ destitu-
antur, manifestum est, illas, sive cum positivis, qvibus opponun-
tur, sive inter se invicem, nullius propriæ distinctionis relatio-
nem

*I. 10. Met. c. 5.
I. 11.*

nem vel fundare, vel terminare posse. Ut alia argumenta taceamus. Consentient hāc in re nobiscum Svarez, Hurtadus, Joh. de Rada & Musæus. Cum autem non Entibus aliquando distinctio tribuitur, *αναλογίας* illud accipendum, sicut iisdem alia quoque entium attributa, v. c. unitas, compositio, totalitas, partialitas, &c; attribuuntur. Erratione hujus *αναλογίας*, divisiones quoque distinctionis veræ hūc applicari possunt, ita ut alia dicatur realis, inter ea scil. quæ concipiuntur ut diversæ res, v. c. inter Chimæram & Cerberum: alia modalis, inter ea, quæ concipiuntur ut res & rei modus. v. c. in Hirco cervo, inter unionem hirci & ipsum hircum &c. sed nobis hic non licet esse prolixis. Pers. gendum ad alia.

Disp. Met. 7.

S. I. n. 2. p. m.

121.

Disp. b. Met.

S. I. S. I. p. m.

396.

P. I. Controv.

4. p. m. 59. N. I.

Pers. Inst. Met.

p. 440.

§. 4. Est Distinctio relativum quid, adeoque requiritum extrema relationis hujus capacia, tum veram inter illa extrema habitudinem. Ex defectu prioris requisiti antecedentem divisionem ad æqvivocas & nominales relegavimus: idem facturi in divisione statim subiungenda, propter posterioris absentiam in altero membro. Est ea, quæ distinctio dividitur in *Realem* & *Rationis* sive *intentionalem*. Cujus distinctionis fundamentum male à qvibusdā in hōc ponitur, quod omnia quæ distinguntur vel sint Entia realia, vel rationis, quorum illa realiter, hæc ratione distinguuntur. Nec etiam illud est realitas fundamenti, quasi omnis illa distinctio, quæ fundamentum in re habet, realis sit, prout hanc divisionem tradit P. Voetius; cum hæc ratione inter Essentiam & *Attributa* D.EI vel realis distinctio, ac per conseqvens etiam comp. statuenda sit, vel nullus planus distinctionis modus relinquitur. Sed hoc genuinum est distinctionis hujus fundamentum, quod sicut quædam Essentiam suam ante mentis operationem, quædam non nisi per eandem habent; quorum illa realia, hæc rationis Entia dicuntur: ita etiam quædam ante operationem intellectus, quædam non nisi per eandem distinguntur, quorum illa re, hæc ratione distincta vocantur. Est ergo distinctio realis, quam res habent ante mentis operationem; Intentio- nalis vero, quam res non nisi per mentis operationem obtinet, seu est eorum, quæ, cum à parte rei idem sint, per conceptus mentis est distinctio. Aut si cum Musæo ex Aristot. ejus definitio-

Prim. Phis.

ref. p. 239.

Inst. Met. C.

34. S. 22. L. 4.

nem Met. c. II. t. 3.



nem adornare velis, distincta ratione sunt, quae, cum secundum rem
sint idem & una natura, non una tamen ratione declarantur, ut Ens
& unum.

¶ 5. Ut autem in ea explicanda paulò accuratius versemur,
considerabimus i. *Subjectum* in quo ponenda sit distinctio ra-
tionis. In hoc assignando variant Authores, dum alii eam po-
nunt in conceptibus formalibus diversis, alii in diversis
conceptibus Objectivis. Priori sententiæ subscriptibunt illi,
qui distinctionem rationis definiunt, quod sit ea, quæ conce-
ptus formalis alius est ab alio, quam sententiam inter alios tenet.
Vasquez citatus à Mendoza, ut & Stahlius ubi vid. plura in hanc
rem. Rationem inter alias hanc adducunt, quod aliâs distin-
ctio rationis in ipso DEO ponenda esset, quod absonum videtur,
cum DEUS in se indistinctus sit, & tantum ab intellectu nostro dis-
tingvatur, propter hujus in cognoscendo imbecillitatem. Imo
meminit Mendoz. Tarantasi, cuiusdam, qui, quod in DEO vide-
batur ponere diversas formalitates Objectivas respondentes di-
versis actibus præcisivis intellectus, adeo male audiverit, ut etiam
accusatus fuerit. ap. Joh. Vercellensem Generalem samitatem Do-
minicanæ; & optat, ut omnes sententiæ hujus patroni deferren-
tur ad Judices, quo cogerentur deserere suam sententiam. Nihil
lominus in contrarium alii statuunt *Subjectum* distinctionis in-
tentionalis non esse conceptus formales, sed Objectivos, ita ut
hæc distinctio propriè non sit in intellectu, sed in Objecto. Ra-
tiones hi assertoris suæ ponunt. Quod i. nullus conceptus for-
malis sit absque objectivo: 2. si distinctio hæc ponatur inter diver-
sus conceptus formales, realis ea futura sit, non rationis, cum
unus conceptus ab alio absque operatione mentis fictrice distin-
gvatur. 3. Sicut Ens rationis non dicitur ille conceptus formalis,
qui subjectivè in mente, adeoq; reale quid est, sed illud objectivū in-
tellectu, quod cum non sit, per conceptum tamen formalē repræ-
sentatur, ac si esset: Sic quoque distinctio rationis, licet non sit,
sed per conceptus mentis, tamen in illis formaliter non consistat,
sed in objecto ratione distincto. Verum res videtur componi
posse distingendo i. Inter hujus distinctionis fundamentum &
formale, illud in diversitate conceptuum formalium consistere,
non

non negatur : sed de hoc quæstio est. 2. Ex Hurtado, inter Objec- D. Met. 6. S. q.
tum specificativè & reduplicativè spectatum. Specificativè
acceptum dicit entitatem illam, quæ terminat cognitionem, cum
prædicatis illi convenientibus ante eam cognitionem, & sine de-
pendentia ab illâ. Reduplicativè verò & in ratione objecti con-
sideratum, significat Entitatem Objecti, involventem jam vel de-
nominationem, vel effectum aliquem pendentem ex cognitione.
Si Objectū igitur priori modo accipiatur, priori sententiæ utique
concedendum, in DEO, præcisâ sc. cognitione, nullam esse distin-
ctionem statuendam. Sin posteriori modo & reduplicativè,
per posterioris sententiæ argumenta ! quidum esse puto, in Objecto
esse formale distinctionis formalis ponendum, adeoque hoc
ipsum absque incommodo dici posse hujus distinctionis subje-
ctum. Est igitur subiectū distinctionis intentionalis: α. Generalis-
sime omne objectum intellectus, cùm in omni objecto intellectus
possit partiri conceptus distinctos inadæquatos. Licet enim di-
stinctio rationis non requirat entia rationis ut extrema, potest
tamen ad illa extendi. β. In specie, omne Ens reale. γ. Specialius,
ipsum Ens simplicissimum. vid. Magnus noster Calovius. Solet
autem hoc à quibusdam dividi in Subjectum *In hac & Ab his*. Illud
dicitur aggregatum plurium conceptuum sola ratione distinctorum: v. c. quando homo dividitur in animalitatem & rationali-
tatem. Hoc verò dicitur esse unus conceptus, solâ ratione ab
alio distinctus, sicut Justitia DEI ab ejusdem Misericordia. II.
Terminos, qui inverso ordine sunt ipsum Subjectum Ab his. Si
enim rationalitatem ab animalitate distinguas, illa subjectum est,
hæc terminus: Si verò vice versa ab hâc incipias, hæc Subjectum
erit illa terminus. III. *Formale*; quod à quibusdam ponitur
in denominatione extrinsecâ: vid Stahl, ab aliis verò in relatio- Inst. Met.
ne rationis, quibus & nos ad stipulamus; moti hisce argumentis, p. 343.
quod 1. distinctio formaliter sit relativum quid, dicit enim habi-
tudinem unius ad aliud: Ergo etiam distinctio rationis, veræ di-
stinctionis simia, per modum relationis concipienda: hæc autem
relatio non realis est, cum fiat per mentis fictionem; 2. E. distinctio
rationis in relatione rationis formaliter consistit. 2. Ubicunque
distinguntur & inter se conferuntur, quæ realiter distincta non
sunt,

Sunt, ibi est relatio rationis: at distinctio rationis formaliter distinguit duos conceptus realiter eosdem, & unum cum alio, a quo distinguitur, confert. E. 3. si formale distinctionis hujus consistet in denominatione extrinsecâ, sive in actione intellectus denominante rem distinctam, esset aliquid reale, non fictum; sed verum accidentis.

§. 6. His ita explicatis facilius probatu erit, distinctionē rationis nonnisi æqvivocè sub distinctione quæ hujus loci est comprehendi. Probatur autem id ipsum i. quia formaliter, uti modo probatum, in rationis relatione consistit, quæ ad constituentium positivum entis attributum non sufficit. 2. Eo modo distinctio rationis est distinctio, quo Ens rationis Ens est. Atqui hoc, æqvivocè Ens est. E. Ratio consequentiæ patet, quia ratio non plus realitatis potest communicare Entis affectioni, quam ipsi Enti, cum attributa Entis Transcendentia ipsam Essentiam intimè imbibant. 3. Si veris attributis annumeranda essent, quæ per rationis operationem ipsis assimilantur, etiam quæ per rationem composita essent, verè talia dicenda essent, adeoque simplicitas DEI periclitaretur. 4. Quæ solâ ratione eadem sunt verè non sunt eadem: E. Oppositorum enim eadem est ratio. Agnovit autem hoc nobiscum Svarez atque Mendoza.

Disp. Met. 7.

S. 1. n. 7.

Disp. M. 6. S. 2.

S. 11.

in L. 5. Met. c.

6. q. 4. S. 1.

Log. p. 80. conf.

Met. p. 41.

Disp. Met. 1.

S. 4. n. 97.

Infr. Met. p. 317

Coll. Publ. D.

§ 7. Licet autem ex dictis hæc divisio nominis tantum sit, Vetus tamen est, fatente vel ipso ejus impugnatore Fonseca: Ut male Derodon & vel ipsa experientia reclamante negat dari distinctionem rationis, cum distinctio rationis sit, ubicunque intellectus diversimodè circa rem eandem versatur; Unde etiam ipse Aristoteles eam tradidit loco supra cit. & I. 10. Met. c. 5. t. II. Nec non Adequata, cum per terminos contradictorios constituantur. Quicquid enim quocunque modo distinctum est, vel tale est ante mentis operationem, vel non est, sed sit demum per eandem. Unde falluntur, qui vel distinctionem modalem, vel ex natura rei, (de quibus infra Sect. 2.) vel virtualem / quod facit Arriaga) superaddunt, cum omnes hæc vel sub reali, vel sub Intentionali, vel sub utrâque, pro diversâ acceptione, contineri possint. Vid. Stahl. & Ebel.

XI. S. 1. A. 1.

S. 8. Dis

§. 8. Dividitur autem vulgo in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ ab aliis (α) distinctio rationis puræ & (ζ) rationis factæ appellatur. & est, quando idem à se ipso distinguitur ab intellectu sine fundamento in re, per repetitionem ejusdem conceptus formalis: vid. Svarez. Adeoqve hæc distinctionis nomen non meretur, cùm vix, ac ne vix quidem sit inter diversos conceptus formales; Unde etiam cum vix ullus ejus in Philosophia usus sit, à Philosophis meritò negligitur. vid. Mendoza. Et rationis ratiocinata; quæ sic dicitur, quod ratio ratiocinetur (bare loquendo) h.e. ad ratiocinandum moveatur per fundatum in re: explicante Scheiblero. Ab aliis appellatur (α) formalis notionalis, (ζ) rationis concepta (γ) virtualis, & quasi reali æquivaleens: non quidem absolute, sed comparatè, & in respectu rationis ratiocinata; supra explicata; Describitur, quod sit alietas unius conceptus ab alio cum quo realiter idem est, per operationem mentis, cum fundamento in re. Ab aliis dicitur esse inter duos pluresve conceptus inadæqvatos ejusdem rei. Ortum est hoc distinctionis genus ex imbecillitate intellectus nostri, qui cum uno concepiu totam rem penetrare non potest, partitur & distinguit eandem in diversos conceptus inadæqvatos. Fundamenum autem hujus distinctionis ut plurimum sunt diversa connotata, ad quæ res aliqua respectum dicit. Sic cùm unus effectus plures connotet causas, vel vice versa: Ipse effectus in respectu ad illas causas à seipso ratione distinguitur, prout vel eum hæc, vel eum illa causa seorsim consideratur. Idem accedit eausis in respectu ad diversas actiones vel effectus. Sic anima cum connotata Intellectu concipiatur ut Intellectus, cum connotata volitione verò, ut voluntas; adeoqve eadem anima, cum in Intellectum & voluntatem dividitur, pro ratione diversorum connotatorum quasi à seipso distincta concipiatur. Duo autem potissimum de hisce connotatis notanda ex Hurtado: Primum, quod non semper, sed tantum ut plurimum reperiantur, cum Essentia DEI nihil extrinsecum connotet, quando ab attributis distinguitur: Unum quæque & Ens inter se absque connotatis talibus distinguntur. Unde quæ ratione ratiocinata differunt,

(α) Fons. in l.s.
Met. c. 6. q. 6.

S. 3.

(ζ) Scharf.
Theor. Transf.

p. 304
D. 8. Met. S.t.
n. 4.

Dif. M. 6. S. 5.
§ 76.
Met. L. i. c. 8.
n. 45.

(α) Dn. D. Ca-
lov. Met. div.
b. 1.

(ζ) Scharf.
Th. Transf.
p. 304.
 γ Derodon
Log. p. 80.

Dif. M. 6. S. 5.
§ 78.

non absolute dicenda sunt diversis connotatis distingvi: sed vel his, vel saltem diversis conceptibus formalibus. Alterum, quod conceptum multiplicatio per connotata dupliciter fieri possit: 1. quando diversa connotata, diversis actibus intellectus respondent. 2. quando diversis actibus intellectus idem attingitur connotatum, sed diverso respectu. Sic eadem unio est qua materia formae, & qua forma materiae unitur; sicut una via est Athenis Thebas, & Thebis Athenas: si tamen eam considerem ut causalitatem materiae, materia subjectum est, forma terminus: si tanquam causalitatem formae, hanc per modum subjecti, illam per modum termini intellectui sisto. Fusius vero haec deducere, instituti ratio non permittit: qui plura desiderat, adeat Mendozam, Musaeum atque Stahlium. *Kategorica* denique hujus distinctionis tria potissimum sunt. 1. Subordinatio plurium in eadem serie praedicamentali. 2. Conceptum diversitas in Ente simplicissimo. & 3. Definitionum formalis diversitas in Ente realiter eodem.

*Ioc. cit. & D.
Ph. 9. S. 5. §. 44.
Inst. Met.
p. 442. 444.
Inst. Met.
P. 346. sq.*

§. 9. Dividitur 1. in *adequatam* & *inadequatam*. Illa aliás dicitur contradistinctorum, & est, quando neutrum extremorum sub alterius conceptu includitur. Haec, quae aliás vocatur Includentis & Inclusi, est, quando alterum extremorum in conceptu suo includit alterum. Illo modo distinguntur DEI, Iustitia & ejusdem Misericordia, hoc modo Animal & homo. 2. In *Virtualem*, *Formalem* & *Modalem*. Virtualis dicitur eorum, quae diversimodè sese exerunt, ac si essent virtutes agendi aliae atque aliae. Sic vis indurativa, liquefactiva, & calefactiva distinguntur in radiis solaribus. Modalis est inter essentiam & determinatores essendi rationes. 3. modos latè dictos, vel etiam inter hos ad se invicem, si scilicet non sint oppositi. v. c. inter Ens & Verum, it. inter Unum & Verum. Formalis vero eorum esse dicitur, quae unitivè sunt contenta; qualia dicuntur, tum Essentialitas subordinata, tum Affectiones ab Essentiali realiter non diversæ. Ubi Not. 1. quod membra harum distinctionum sibi non immediate opponantur; cum v. c. Ens & Unum distingvantur & formaliter, & modaliter: sed eatenus saltem adferantur, ut quadam tenus.

tenus discernantur respectus illi diversi, quorum ratione quædam dicuntur notionaliter differre, n. 2. Qvod si idem termini ad realem quoque distinctionem applicari possint: virtualis enim vis nominis dicit distinctionem duorum, quæ se habent ut virtus & virtus: At virtus à virtute tam re, quam ratione, pro diversitate scil. exemplorum, distinguitur. Idem accidit Modali: quæ si sumatur in respectu ad modos specialiter dictos, vel etiam oppositos, realis est. Formalis vero, si distinctionem dicat inter duos conceptus formales subjectivos, ex supra dictis itidem realis est. Sed de his forsitan inferius plura dicendi locus erit. Verum enim vero prolixiores ferè fuimus in nominis ratione explicanda, præcipue quod posteriorem hanc divisionem attinet, idque propter usum quem habet in Philosophicis amplissimum. Properandum ergo ad alia. Restat autem in hac prima Sectione expedienda.

SUBSECTIO II. Προγνωστολογική.

§. io. Absolvitur hæc consideratione conceptus tum contrabibilis, tum contrahentis, cui Colophonis loco subjunguntur *κειτίγια*. Conceptus igitur Contrabibilis breviter in hoc consistit, quod sit membrum, (non integra affectio incompleta.) Attributum (non modi contrahentis, qui quomodo ab attributis differat vid. ap. Magni. Dn. D. Calovium & Scheibler.) Entis (quatalis, non specialium & determinatorum Entium, v. c. Corporis aut Spitus) Disjuncti (unita enim attributa membra responunt: qualis autem disjunctio: vid. ap. Scheibl.) Principalis, Mediatis (vid. Magnif. Dn. D. Calov.) mediante Unitate Enti conveniens (Unitas enim vel spectatur absolute, & sic fluit ex ea divisio entis in simplex & Compositum, &c: vel relata ad aliud, & sic fundat divisionem Entis in Idem & Distinctum; quatenus enim unum ad aliud refertur, vel idem cum eo est, vel diversum).

§. ii. In Conceptu contrahente spectandum i. Subjectum, quod à nonnullis ponitur conceptus objectivus, cum, ut supra retulimus, ex opposito distinctionem intentionalem inter diversos

Met. Div. P. G.
c. 9. ad Præc. 1.
Op. Met. L. 2.
c. 1. n. 6.
Op. Met. L. 1.
c. 20. n. 17.
Met. Div. P.
G. c. 9.



tos conceptus formales esse volunt. Sed, ut ibidem indicavimus, inter conceptus objectivos datur etiam distinctio rationis, & conceptus formales realiter, non sola ratione distingvuntur. Accedit, quod non esse Objectivum vel cognitum, per accidentem sit ad distinctionem realem. Est autem Subjectum veræ distinctionis omne Ens (ampliando terminum ad omne id quod non est nihil, ut etiam modos Entium comprehendat) quatenus ad aliud referatur. II. *Terminus*, qui est inverso relationis, ordine ipsum subjectum, ut supra quoque ostendimus. III. *Formale*, quod non est a. *Modus* ab extremorum essentiâ realiter distinctus. Positis enim extremorum essentiis, etiam si omnia alia removeantur, ponitur distinctio. Rursus ille modus si realiter ab essentia distincta distingueretur, necesse esset id fieri rursus per aliam distinctionem, quæ sit modus realiter distinctus, ab extremis distinctis & sic progressus fieret in infinitum, vltandem concedendum, dari distinctionem, quæ ab extremorum essentia realiter non distingvatur. Neque tamen formaliter est ipsa *extrema distincta*: in quam sententiam inclinat Hurtadus, cum haec formaliter dicant pluralitatem, quam distinctio in formalis suo non dicit. Licet ergo nihil ponat realitatis præter ipsa extrema diversa, ponit tamen aliquid formalitatis. Nec etiam cum Svario & Rod. de Arriaga aliisque, distinctionis formale in negatione ponendum, cum distinctio sit conceptus positivus, non negativus, quamvis negationem aliquam inferat, sine qua vix explicari potest, judice Mendoza. Est enim attributi Entis positivi membrum, rebus que circa mentis operationem competit; E. in negatione formaliter consistere nequit. Cum igitur formale hoc non sit negatio, sed haec ad distinctionem consequatur, nec etiam ipsa extrema diversa, E. erit aliquid, quod ad extremorum diversorum essentiam consequitur, idenitatis vero negationem fundat, quod forsitan, donec commodior vox substitutatur, *Alietas* non incommodè dici poterit. Positis enim extremis diversis, statim exurget *Alietas unius ab altero*, quæ *Alietas* no-

Disp. Met. 6.
S.t. §.4.

Disp. Met. 7.
S.t. n. 2.
Disp. Met. 1.
S. 4. n. 94.
loc. cit. §. 4.

stro concipiendi modo negationem Identitatis fundat, sicut optimè judicat sèpius laudatus Mendoza loc.cit. §.5.
Ex hactenus dictis igitur haec erit distinctionis definitio:

Distinctio est membrum attributi Entis disjuncti, Principalis, Mediati, ex Unitate fluens, dicens Alietatem realem unius ab altero.

§.12. Superest ut paucis tangamus *xerigia* veræ & realis distinctionis, qvæ vel vera sunt, vel fallacia. Vera iterum vel Generalia sunt, qvorum potissima proferuntur i. Diversitus *Essentia* sumptæ realiter, non intentionaliter, pro qvavis formalitate. 2. Separabilitas, eaque realis, non mentalis tantum, sive mutua, sive nonmutua, sive sit in respectu ad potentiam ordinariam, sive ad absolutam. Quocunqve enim modo qvid ab alio separari potest, indicium clarum est illud ab eo realiter differre. Separato enim uno conceptu, separantur omnia, qvæ cum eo sunt idem, aliàs idem non esset idem. Hoc verò indicium nec primum est, nec ad qvatum, ut bene judicat Ebelius: non ad qvatum, qvia non omnia realiter distincta sunt separabilia, sicut in divinis clarum est, in creatis verò idem adstruere tentat Roder. de Arriaga. Nec primum, cum ex antegresso actu separatio- nis fæpe demum de potentia soleamus judicare. Ponitur autem ut certius & notius, qvando haberi potest. 3. Opposito, sive cum pugna sit & specialior, sive absqve pugna. Sic realiter distingvi Tres Personas in divinis, ex oppositione Characterum hypostaticorum docemur. Specialia reperiuntur vel in *Substantiis*, ut ratio producentis & producti. Idem enim seipsum producere nequit, aliàs enim esset anteqvam se produceret, i. c. simul esset & non esset.

Vel.



Vel in *Accidentibus*, ut diversitas Subjectorum, quod
ne*gītēgīo* vel ponendum absolute, juxta eos, qui unum
accidens pluribus Subjectis inesse impossibile judicant,
vel limitate ad potentiam ordinariam, juxta eos, qui
statuunt unum accidens per potentiam DEI absolutam
posse esse in diversis Subjectis, eo modo, quo unum corpus
in pluribus locis. Sed hanc controversiam nunc nostram
non facimus. *Falsa ne*gītēgīa* qui nosse desiderat, profligata*
legat ap. Scheiblerum L. I. Met. c. 8. n. 21. sqq. & Ebe-
lium, Coll. Publ. Disp. XI. S. I. A. 3. Et hic est
Sectionis Primæ

F I N I S.



05 + 667

ULB Halle
004 207 637

3




VON

QJ.



Farbkarte #13



B.I.G.

J. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO METAPHYSICA

De

DISTINCTIONE,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

lspirante Divinâ Gratiâ,
Sub Moderamine

V. I. R. I.

ILLISSIMI, AMPLISSIMI atq; EXCEL-
LENTISSIMI,

CHRISTIANI DONATI,

Metaph. in Incluta hâc Electorali ad Albim
Prof. Publ. Celeberrimi

Domini Patroni atq; Fautoris etatem
devenerandi,

Placidæ disquisitioni submittit

JOHANNES HENRICUS Meel /

Argentorat.

Ad d. 28. Jan. ANNO 1680. h. Iq; c.

WITTEMBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.